

1784.

1. Bochmerus, Phil. Adolphus: De cognoscendis et sanandis
scrupulis
2. Foerster, Joannes Christianus: De gemina palpitac
nubione ejusque ambitu
3. Gottschw., Dr. Pet. Gottlieb: De theoria congestorum
paratenus proxi inservit

1785

1. Bochmerus, Phil. Adolphus: Anatomia versiones cordae
functiones sensuales eorumque morbos
2. Michaelis, Joannes Gottlieb: Anatomia malum cordis
inquinatio anatomico - medica.

1786.

1. Eberhard, Dr. Augustus: Compendium in illud Pauli
Cat. 1.19 et 3.9. et 7.17 quodatys Novytes Roto,
Kyoto et Xyiotur Tawatikus.

1786

2. Goldhagen, Jo. Fr. Gott : Dissertatio, in qua secundum methodum nostrum
quaesam circa reproducendum partium corporis hu-
mani.
3. Gren, Petrus, Albertus Coriolanus : Dissertatio in qua res
sistematis observationes et experimenta circa generationem
aeris fini et physiologicas.
4. Hensel, Ruis : De atmosphaera ergo in corpus
humannum efficacia.
5. Nelleblot, Daniel : De usu generale inter illatos.
6. Naessels, Janus Augustus : Symbolae ad illustranda
quaesam loca officiorum priorum epistolaarum Pauli
ad Corinthios.
7. Pargold, Johanna : De diversis imperii Romanorum ordi-
nibus evanueli peribus atque obligacionibus nec non
de ducis foris competentibus.
8. Nagy, Fridericus Matthaeus : Testamen de novo in his matrem
et factum.

9. Walf, Fridericus Augustus : De malleo.

10. Zenker, Iacobus Theraphetus : De scorro et cancro.

1787.

1. Goldberger, Dr. Fr. Gottlieb : De aere marino ejusque
in corpus humanum efficacia.

2. Lindner, Gottlob Emanuel : De lymphaticorum systemate

3. Specht, Anaret : De insufficiantia probandi
regulari affirmanti incumbit probatio ; de qua
alio in epos locum substituenda.

4. Sprengel, Kurt : Quaedam articulorum 187. contin-
tibus criminis Carolinae illustrativa

14

1981 20

Q. D. B. V.
DISSERTATIO HISTORICA
SISTENS
OBSERVATIONES
DE
BENEFICIIS MEDII AEVI
QVAM
ANNVENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM
ORDINE
AD DIEM XXVI. SEPT. CICLO CICCLXXXI.
H. L. Q. C.
PVBLINE DEFENDENT
M. IOHANN CHRISTOPH KRAVSE
MANSFELDENSIS
ET
IOHANN SAMVEL SCHVLZE I. V. C.
LOEWENBERGA - SILESIUS
AUCTOR ET RESPONDENS

FASC. I.

HALAE TYPIS LI. CVRTIL.





INTROITUS.

§. I.



rgumenti, quod pertractandum nobis sumis-
mus, tantum est in declarandis iuris publici, feu-
dalibus, et ecclesiastici germanici doctrinis mo-
mentum tantaque dignitas, ut post summorum
in hoc scientiarum genere virorum studia, con-
silium nostrum, denuo de eadem paullo vberius differendi, et,
vti celeberrimi Francogalli fecerunt, ad cognoscendum rei pu-
blicae statum habitumque applicandi, nec temeritatis accusari
possit, si vel minus ex voto telam coeptam pertexamus. In-
risprudentiae feudali eiusmodi tractationem bene conuenire, ita
clarum liquidumque est, vt vix vñquam aliquis de eo dubitare
sustinuerit; publici iuris prudentiam autem inde auxilia arcess-
re, ex eo iam patet, quod Imperii nostri Romano-Germanici
caput et membra potiora nexus feudali inter se continentur, feu-
dalibus

A 2

¶ o ¶

dalis vero res ex beneficiaria prima cepit incrementa. Eadem est ratio iuris ecclesiastici, quo vtitur Germania. Ex quo enim Franci aliisque originis Germanicae populi in regnis a se in exteris regionibus, praesertim in Italia et Gallia, conditis beneficiario regimine uti cooperunt, ecclesiae romanae praesules praeuiderunt, si fieri posset, vt suae, quam in orbem Christianum sibi asserebant, auctoritatibus ex beneficiis robur adderent, fore, vt facili negotio omnem orbem Christianum suo imperio subiicerent. Neglecta itaque antiqua status ecclesiastici ordinandi ratione beneficiarium modum amplexi sunt eique tandem hierarchiam ita superstruxerunt, vt vel hodie eadem fere eiusdem sit ratio et habitus, qui Imperii Romano-Germanici. De utilitate huius igitur argumenti qui dubitet, credo fore neminem.

Neque tamen defore animo iam conspicio, qui nos post Homerum Iliada tentare dicant. Non ignoramus equidem, quantum, praeprimis Francogallici scriptores complures, *) inter Italos autem immortalis Muratorius, et inter Germanos plures etiam, in hoc arguento desudauerint; persuasi autem sumus, lectorem non minus cognitam habere maximam, quae fere inter omnes, qui huic arguento operam consecrarunt, obtinet, dissonantiam; cui tamen debemus egregia plura scripta; vt arroganter agere forsitan non videamur, pronunciando, nondum istud argumentum recte excultum fuisse, et deesse quasi fundamentum, quo doctrina de beneficiis rite inniti possit. Quoniam tamen operis suscepisti hoc fuit consilium, vt exquireremus ipsa principia et notiones directrices, ad eas autem, quae de singulis disputantur, apte accommodaremus: non tam noua inauditaque producimus, quam ex ipsis horum summorum

*) Postiora nomina sunt Chantereau le Febure, Salvaing, Brussel, Bouquet, Mably, Montesquieu —

rum virorum scriptis ea desumimus, quae nostrum consilium adiuuare possunt, quae sane sunt plurima; et si vel minus sese lectori probauerit operis perfectio, nosmet ipsa hac voluntate sat excusatos putabimus.

Huc accedit, quod hodie in scholis Germaniae iuridicis et historicis sane non paucis, ex quo Ludewigii schola defecisse videtur, opiniones et doctrinae historicae, non minus a vero abhorrentes, quam ipsius Ludewigii figmenta, ita regnant, ut vix ullum cuiquam de hac re suboriantur dubium, omniaque prorsus peracta videantur. Quia tamen probe intelligimus, fieri posse, ut multa historiae et antiquitatis capita nouam lucem, praesertim in Germania, accipiant, si non tam in verba magistri iuraueris, quam ipsa antiquitatis monumenta euolueris; denuo hoc argumentum excutere constituimus, ea quidem ratione, ut praesertim Germanica instituta illustranda sumeremus, quae dicto saepius ab Italicis Gallicisque multum differunt: eam forsitan ab causam, quod aliam horum regnorum et terrarum inuenirent Franci, Longobardi etc. formulam, ab ea, quam Germania partim retinuit, partim recepit, valde diuersam. Verum ob alias etiam causas Galliae et Italiae statum non in omnibus momentis ad nostrum argumentum referre licet. Dominabitur enim ibi legum contemtus, morum corruptio, hominum violencia, dum Germania locum relinquaret legum sanctitati, nec violentia consilia ita desauirent, nec eum exitum haberent, ut morum legumque euerisionem accelerarent. Moderatores semper fuere Germanorum proceres, forsitan quod capaciores essent Germanorum reges. Negligi tamen prorsus nec debet nec potest Galliae et Italiae status, propterea quod inde sequior aetas instituta depromxit, quae hodie sequimur, et quod clarissimi viri multum operaie in eruendis iurium suorum originibus achauebuerunt.

§. II.

Constitutum nobis est, omnem huius rei beneficiariae ambitum, quantus quantus est, complecti et describere. Campus autem, qui hoc pacto nobis aperitur, tantus est, ut uno cursu circumuehi a nobis nequeat, qui et temporis breuitate et subsidiorum tenuitate circumscribimur. Diffusius itaque argumentum in partes secabimus eam rationem in tractando argumento sequuturi, ut in hoc specimine primo generatim quaedam moneamus, quae de notione beneficiorum nobis monenda videntur, iisque et tabulam breuem notulis illustratam, quae beneficiariae rei ambitum ob oculos sistat, adiungamus.

C A P. I.

Definitio beneficiorum.

§. III.

Multis sane difficultatibus premitur hoc argumentum. Praesertim illis se se obiciunt, qui magnorum virorum, qui de Beneficiis iam scripserunt, vestigiis inherendum sibi esse putant. Oriuntur autem non tam ex ipsa rei natura et indole, quam exinde, quod primo loco ab hodiernis nostris moribus tantopere abhorreat institutum beneficiorum, paucisque datum sit, ut animum mentemque in illa tempora, quae beneficiis gaudabant, transferre, saeculumque, quo iam viuitur, relinquere valeant; deinde quod, quum plerumque aduersarios sibi sumferint oppugnandos deprimendosque, qui hoc argumentum pertractarunt, inde confusio orta sit feruori disputandi debita et veritati profecto non proficia. Huc accedit summa incuria illorum, quibus olim conscribendorum monumentorum cura fuit aut mandata aut relieta, et usus latini sermonis, si latinus dicendus

dicendus sit, quo utebantur, nec potius barbarus aut barbaro-latinus, cui interpretando dilucidandoque nondum pares fuere viri doctissimi, propterea, quod quo indectior quis esset, eo maius a recepta loquendi consuetudine faciebat diuortium fibique vni quasi suum Hermeneutam requirit *). Praecipua autem exinde orta est difficultas, quod plures voces multiplicem sensum habentes et promiscue obuias, ut beneficii, vasalli, fidelis &c. non rite distinguenter, fibique, dum maxime consuetis inhaerent, imponi paterentur; dein quod semper per partes eundum fibi censerent, nec omnia in vnum quasi locum vbi lectoris animo oculoque essent exposita, redigerent. Hinc factum, ut quidquid de comitibus, beneficiis, iudicibus, fidelibus &c. inuenirent, omnibus illorum speciebus conuenire arbitrarentur, quamuis summa inter illa discrepantia eos docere potuisset, bene distinguendam esse vnam ab altera speciem, et in quo differant, explicandum. Sic e. g. iudices erant in Galilia, qui canum aleendorum officio etiam fungebantur **), erant beneficiarii, qui vapulabant, ut alia taceam, quae in Capitular. reg. Franc. reliquisque legibus passim occurunt. Nisi rite distinguamus ordines classesque rerum constituamus, ut vñquam rite explicetur nobilissima haec scientia, vix futurum est.

§. IV.

Quicunque hactenus de beneficiis scripsierunt, iusto articulo limitibus se se incluserunt, vnde factum est, ut lucem non accipe-

*) Deplorant ista praesertim nobilissimi scriptores Gallici Montesquieu Bouquet, Mably &c. licet ipsi fibi ab eo vitio non faciat cauerint. Et quis fibi prorsus caueat! Coniunctis demum studiis integrati restitui haec possunt.

**) Capit. Caroli M. de villis c. 58.

8

acciperet argumentum, quam pro eruditionis et subsidiorum copia dare multi potuissent. A definitione beneficiorum progressuri, definitionem dederunt, aut nullam, aut minus commodam reique explicanda non satis aptatam. Omisis nūgis eas dabimus, quas inter eruditos Germanos plausu exceptas esse intelleximus. Beneficium itaque subiectiū sumtum *in genere* illis est *ius utendi fruendi praedio* ad determinatum tempus *'concessum'*; assenturque iure beneficiario et usufructuario possidere veteribus eadem fuisse. In *strictiori* autem significatu volunt, beneficium esse *ius utendi fruendi praedio pro officio concessum* *) Quid obiectiū sumtum in utroque significatu ipsis sonet, per se iam patet.

§. V.

Nobis haec aliter sese habere videntur. Nam

1) quoad definitionem beneficij in sensu latiori accepti negamus, eandem eius esse rationem, quae ususfructus germanici, hac sola admissa differentia, quod ususfructus non sit concessus ad tempus determinatum absque dominio pleno.

2) quoad definitionem beneficij in sensu strictiori accepti monemus, non solum existare posse hodienum praedia pro officio aliquo concessa, ubi vix quisquam beneficium inuenierit; sed etiam

3) producemos beneficiorum exempla, quae hac definitione non comprehenduntur;

vt

*) Vid. Perill. G. L. Boehmer in Observat Feud. II. §. 2. pag. 70. seq.
ibique allegat. Bouquet droit publ. de France T. I. p. 115. Mably
Bemerkungen über die Geschichte von Frankreich. (Leips. 1768.) p. 322.
Boulainvilliers hist de l'anc. gouvern. p. 294. Montesquieu's Esprit des
Loix &c. alias dederunt beneficiorum definitiones, quas iam non est ani-
mus attingere.

vi adeo, si ista vera sint, eo ipso demonstratum iri nobis persuadeamus, ex una parte hanc definitionem plures, ex altera pauciores res comprehendere, quam quot ambitus rei beneficiariae admittit.

§. VI.

Vsusfructus non eandem rationem esse ac beneficiorum, licet non negemus, vsuumfructum beneficii obiectum esse posse, immo sine vsusfructuario iure illud beneficiorum genus cogitari non posse, quorum obiectum sunt praedia, aut tale quid, quod vsuum fructum recipiat, infra patebit, vbi veram beneficii naturam et indolem explicauerimus. Deest nempe definitioni prolatae id, quod summam rei concernit, indiciumque, cuius ope ab aliis rebus, quarum quaedam est similitudo et affinitas, discernatur beneficium. Proferre autem exempla praediorum pro officio hodie concessorum, facile est, quum in ecclesia nostra Euangelica verbi diuini ministri eiusmodi praedia habeant, pro officio, iis vtantur fruantur; neque tamen quisquam eorum dixerit, sibi haec iure beneficiario competere. Et longe exstantiora fingi, immo perfici posse, quis negauerit? Quid enim si princeps consiliario rerum cameralium, status administratio &c. loco pensionis in pecunia numerata soluendae, praedium addixerit iure vtendi fruendi possendum, num beneficium diceres? Exstare autem vera beneficia, quibus hanc suam naturam eriperet definitio ista, infra videbimus.

§. VII.

Circumspicienda itaque sunt alia indicia, ex quibus vera beneficiorum indoles intelligi possit, et beneficia ipsa ab aliis rebus distingui ac secerni valeant. Quae quidem, si recte rem perci-

B

percipio, ita comparata esse debent, vt quae omnibus et singulis speciebus sunt communia, complectantur, ea autem, quae vni alterius speciei tantum conueniunt, secludantur. Nam hac demum via item aliqua animorum contentione agitatem componi posse, aut nulla, sperandum est. Iam vero circumspicienti duo sese offerunt. Alterum est determinatio iuris ipsius, quo quis beneficium haberet, aut si maius, modus habendi beneficium, alterum modus accipiendi. Et si contigerit, vt vtrumque *hocce in beneficiis locum habere lectorem edoceamus*, nec dubitamus, fore, vt lectori iudicium nostrum probemus. Ac primum quidem, quod, quantum scimus, haec tenus omnino praetermissum neglectumque fuit, atque vnde plurimum discordiae originem traxit, quotiescumque doctrinae erant transferenda ad alias eruditio[n]is partes, est ea iuris determinatio et natura, quo quis haberet beneficium. Notissimum est iura, quae hic cogitari possunt, esse aut *propria*, aut *administratoria*. Quae quid sibi velint, explicit[ur] laude mea maior ICtus perill. *Nettelbladt*^{*)}). Ius vero proprium est vel patrimoniale vel non, quod vtrumque non minus eleganter declaravit vir consultissimus. Beneficia autem *iure proprio* pertinuisse ad eos, qui ea habebant nemini quidem adhuc in mentem venit afferere, inde tamen nemo argumentum petierit, rem aliter sese habuisse, quae iustis argumentis adstrui potest. Quia vero haec assertio ad summam tractationis nostrae pertinet, eandem firmabimus. Ac primo quidem lectores, assertive nostri aduersarios omnes ac singules, provocatos volamus, vt vnicum nobis afferant exemplum beneficii, quod professor (vti hac voce liceat!) iure administratorio habuerit; aut si hoc fieri nequeat, producant argumenta, ex quibus illud euinci queat. Tuti ista expectabimus, neque stabilitati sententiae nostra

*) in syst. iurisprud. natural, edit. recentiss, §. 192, in fine et §. 202.

Nrae quidquam diffidimus; quippe qui analogiam sequimur,
quae in beneficiis hodiernis feudisque omnibus per omnia saecula
obtinuit.

Ius proprium itaque omnium primum est, quod in definitione beneficii attendatur, quum hodie omnia fere negotia iure
administratorio ac delegato adimpleantur, et facilissime fieri pos-
sit, ut errores, hoc neglegto, exoriantur.

§. VIII.

Alterum sibi locum vindicat modus accipiendi beneficium,
qui est *inuestitura*. De etymologica vocis huius ratione non
sumus anxii, eadem iis relictis, quos haec studia, ex nostra
mente quidem non inhonorifica, iuvant. Naturam autem inue-
stiturae nosse, eo maius operae erit pretium, quo impeditior
nobis videtur. Generatim, et absque respectu ad mores anti-
quos sumta, est *solemnis* sive *symbolica traditio* (collatio) iuriis
alicuius determinati. Sed si antiquitatis rationem habeamus,
opus est distinctione aliqua. Si enim hoc ius tale sit, ut dominium
rei corporalis plenum complectatur, dicitur actus ille *solemnis Vestitura* *), si non tale, *inuestitura in sensu stricto*, si tale, ut so-
lum exercitium ex iure proprio, non patrimoniali, *inuestitura in sensu maxime proprio et strictissimo* adest **).

B 2

§. IX.

*) locus princeps ex Cap. Reg. Francor. p. 838. n. 6. ap. Georgisch et
plures alii, apud Baluz. Tom. II. p. 1508.

**) Ita tamen testimoniis firmari non possunt; mihi ex analogia et pro-
missu vnu vocum: *collatio, inuestitura, concessio in beneficium, conferre in beneficium, conferre, beneficio dare, inuestire — fluere* videntur.
Nec tamen cum illo contendam, cui sepe hoc assertum non proba-
uerit. Nam et Arnoldus Lubec. II, 13. vnu paucis *vestitaram pro inuesti-*
tura. Caeterum vide sis Schilterum in Comm. ad ius feudal. Cap. IV.
p. 143. et Pfeffinger. Vitriar. illistr. T. I. p. 1379. &c.

Quo facilius ea, quae de iure proprio et inuestitura in medium protulimus, intelligantur, animaduertimus:

1). Germanos nec priscos, nec quos media aetas vidit, ante saeculum XII. notitiam vsumque officiorum munerumque publicorum, qualia hodie habemus, et quae *administratorio nomine* geruntur, habuisse, immo omnibus negotiis, quaecunque vñquam obuenirent, quorumque cura esset perpetua, aut honoribus, officiis, ministeriisque aut seruitiis prospexit; ad ea autem obeunda, quae tempore aliquo modo circumscriberentur, delegatione temporaria *) vños fuisse. Et tria priora quidem rationem beneficiorum habebant, quartum autem ei, qui seruitutis inter Germanos veram indolem nouerit, notissimum est. Tantum abest, vt hanc nostram, quae negando profertur, sententiam operiosius firmare laboremus, vt potius contendamus, ne vnum quidem exemplum in contrariam partem proferri posse. **) Si itaque officia hodierna (*Alemtir im jetzigen Verstande*) prorsus ignota fuerunt majoribus nostris, quid? quod si vel serui Germanorum *iure proprio*, quae ex nexu seruili sibi habebant, habuerunt: primo loco aut concedendum est, nulla munia obeunda obuenisse, aut declarandus modus, quem in iis tribuendis obeundisque sequuti sint. Iam vero audio, qui obiiciant, vocem ipsam *Ami* esse tamen domesticam, antiquam et vel Caesaris aeuo iam cogniti.

*) Tacitus de M. G. Cap. 12. iam habet: et primis Francorum temporibus vel in Ducum, Comitum etc. potestate conferenda ita fuisse videatur. Et ista rei feudalismus prima elementa vbiuis terrarum inuenire licet. Hungariae et Poloniae regna plurimum retinuerunt.

**) Multum operae perdidit Bouquet (*Droit public de France* T. 1. p. 92ieqq.) dum arguere conatur, quod negamus. Prouocamus ad eius argumenta.

cognitam *), quibus respondeo, 'me nec negare hoc, quod quidem verissimum est, neque tamen largiri posse, eam eiusdem et olim fuisse significationem, quae hodie obtinere creditur. **) Ecquid igitur sibi voluerunt, qui de *Qmt*, aut latine de officio, honore et dignitate, ministerio etc. loquuti sunt? Mirifice variant fluctuantque monumenta prisca, in eo tamen conspirant, quod officium generatim dicant *omnem complexum iurium et obligationum*, quae alicui respectu speciali competunt. Iam vero distingui potest inter homines liberos et non liberos. Illorum officium erat longe diuersum, ab horum officio, quod proprie Seruitium dici debet. Liber autem homo, quidquid sic accipiebat, habebat per inuestituram et iure proprio, et pro vario respectu modo officium, modo honor et dignitas, praefectura etc. dicebatur. In quantum enim, qui sustinebat, obligabatur ad praefestationes determinatas, erat officium; in quantum autem facultate exercendorum iurium gaudebat, gerebat honorem, gaudebat dignitate, et ex hac dignitate specialius nomen (Auctenamen) assequebatur. Eadem ratio erat ministerii ***) aeuo remotiori; sequiori autem non raro, et doctrinae rite adornandae gratia hunc morem sequimur, officium et ministerium a se invicem distinguebantur ita, ut illud *nexus* inuolueret, cuius tollendi saluum erat data occasione arbitrium, hoc autem talem, vbi ista facultas recedendi vario modo erat restricta. Vnde etiam factum est, vt saepius dicto, qui ministerium obirent, serue di-
ceren-

B 3

*) de B. G. Lib. 6. c. 15, coll. L. 3. c. 22. et Tacit. de M. G. c. 13.

**) Quis enim audeat ex Imperatorio officio (Kaisertliche Amt) concludere, quod Imperator iure administratorio habeat potestatem suam?

***) quae Bouquer c. I. aliquie de ministris reipublicae dispergant, huc pertinent. Et tota ministerialitatis ratio inde cognosci potest. Caeterum illud speciale dignitatis et officii nomen fecit, ut nexus beneficiariorum non agnouerint plures eruditii. Vide sis infra plura.

cerentur et ministerium aliquo modo seruituti aequipararetur. Qui minus accurate et cum imperita incuriaque plebecula loquuntur, officium, ministerium, seruitum promiscue usurpant.

Qui ejusmodi nexus adstricti erant, dicebantur officiales, ministeriales, interdum etiam serui, & generatim accensebantur fidelibus, vassis siue vasallis. Via perueniendi ad istiusmodi officia et dignitates, erat *commendatio* et *datio* in vassaticum, quae a *nexus* beneficiario, ut in continuazione huius opusculi docebimus, differebant, vt etiam omnis fidelitas non erat feudalis. Quamvis autem ista mili tam clara videantur, vt nulla probatione ad eos egeant, qui monumenta medii aevi cognita habent; infra tamen non a vero abhorrere demonstrabimus.

§. X.

Vt autem hac ratione rem suam publicam priuatamque componerent, inde factum est, quod carerent pecunia numerata eiusque vsu publico, aut omni regimine vniuersali, aut principe, qui non tam reipublicae caput, quam dominus esset, et in capitibus aliunde liberis dominationem suam exereret, et, quae summa rei est, quod institutum beneficiarium aut tenuia eius elementa et initia aliunde iam nosset, et progressu temporis, ingruente casu dataque occasione, necessitatibus accommodarent. Id quod paeprimis eo tempore fieri debuit, quo se se iure familiarum regebant, non iure reipublicae, neque iam in aliquod corpus remque publicam coaluerant. Vti Germania olim milite hodierno mercenario perpetuo caruit, ita etiam officiorum hodiernorum commodis, quae iuris peregrini usui aliisque caussis, inde a Sæc. XII. post Christum natum id operantibus, debentur. *)

§. XI.

*) Si Feudorum libris fides haberi posset in historicis argumentis, progressus rei beneficiariae hi fuissent, quod primum ad beneplacitum, deinde annua-

§. XI.

2) quoniam illo tempore, vbi Germani ex statu familiarum primo ad habitum foederatarum inter se gentium, deinde ciuitatis et reipublicae iustae transitum fecerant, et res illa publica perpetuo et stabili modo administranda erat, litteris et scribendi arte prorsus carebant, sub dio et in conspectu omnium, ut etiam apud omnes gentes in eo statu constitutos, quaevis negotia non solum peragebantur, sed omnis etiam eorum *iurisprudentia* erat *symbolica*, ita vt nullum occurrat negotiorum, cuius memoria esset per aliquod tempus seruanda, aut quod statum hominum afficeret, cui non fuerit suum symbolum. Vnde operae pretium est indagare istorum rationem; et certe instar documentorum nobis sunt symbola illa, naturamque negotiorum vt hodie ex litteris aestimamus et dijudicamus, ita illa tempestate ex adhibitis symbolis dijudicare licet. Procedente tempore, quum artem scribendi et didicissent et adhiberent, clerici saltim, nihilosecius symbolicae iurisprudentiae suus honor mansit, immo in pluribus negotiis hodieque perdurat.

§. XII.

Iam vero, si certum firmumque sit, Germanis nec cognita fuisse nostra officia, modum vero transferendi iuris alius in

annuatim, tandem ad vitae tempus denique iure hereditario darentur beneficia (Feud. II, 52.) Ex hac lege, quae provocat ad statuta antiquiora, hodie quidem incognita, sua haustile videtur *Giannone* in der bürgerlichen Geschichte von Napoli Th. I, S. 415 Longobardi sane, quum occuparent Italiam, nondum vtebantur regimine status ordinario, sed foedera aliquo publico, priuatim autem alio nexo continebantur, et procul dubio, ad morem veterum Germanorum in comitiis suis deputabant, qui iura redderent etc. Progressu temporis hoc cessit regibus, vt adeo concipi possit animo, quo pacto illud, quod narrat lex ista, contigerit Ultra Italiam tamen nolim extendi.

in alium recipienda eque obligationis fuisse symbolicum et solemnem, istum porro pro iuris, quod quis assequebatur, diversitate diuersum fuisse, ita ut in translatione dominii pleni rerum corporalium esset *vestitura* non talium generatim *inuestitura*: ytriusque rei rationem in definiendo beneficio habendam esse, liquido appetat. Hac enim constituitur nota, qua beneficium a complexu iurium ex ipso dominio rei oriundorum distinguitur; illa ut ne nostri faculi mores transferamus, naturam instituti accurarius intelligamus, et ab aliis cognatis negotiis distinguamus, efficit. Regula inde nascitur: *vbi beneficium, ibi ius proprium* non patrimoniale et *inuestitura*, et vice versa, *vbi ius proprium et inuestitura ibi beneficium*. Fuerunt, qui etiam *fidelitatem* in fuisse beneficiis crederent, quibus tamen assensum praebere nequimus, si de omnibus dicitur. Quod enim vni beneficiorum generi conuenit, non statim omnibus tribui debebat; adstruque potest, existisse beneficia, quae *fidelitatem* requirebant, nec tamen defuisse, quibus illa deesse, salua beneficij natura, poterat.

§. XIII.

Si nulla administratio ex mente et norma recentiorum temporum existit, omnibusque negotiis, quae seruilem curam non admittebant, beneficiis prospetum fuit; omnino maxima eorum esse debuit multitudo ambitusque rei beneficiariae amplissimus. Separatis enim omnibus illis, quae ministerio seruorum adimplabantur, et quae in casibus specialibus pro tempore et enata occasione ex speciali mandato fiebant, omnes honores, dignitates, omnia officia et munera publica, sive a rege sive ab alio profiscunda, sive saecularia, sive ecclesiastica, quid? quod multa negotia, quae hodie alio modo peraguntur, ut locatio conductio &c. quodammodo, omnis res iudicaria, militaris, aulica, praefectori-

ctorialis beneficia olim esse potuerunt et fuerunt, si rem, non verba solum attendamus. In tanta eorum copia igitur fieri non potuit, quin plures orientur significatus; et sane, qui de iis sequiori aeuo aliquid litteris sive publico sive priuato nomine mandarunt, eo ipso, quod peregrino sermone vtererentur, non solum locum multiplicandis hisce, sed etiam, dum inseguens aetas ex suis moribus iudicaret, erroribus fecerunt. Necessarium autem nobis videtur, uitanda confusionis et logomachiae, et rite adornandae doctrinae gratia, certas quatuor classes constitui, quarum quaelibet a reliquis accurate distingui deberet et potest. Beneficii appellatione vti non dubitamus, quamuis nos non fugiat, eam de prima classe vix vnam in vsu fuisse.

Beneficium itaque 1) in sensu *latissimo* est omne id, quod iure proprio, non patrimoniali per inuestituram habetur.

2). *late sumptum* est, quidquid iure proprio, non patrimoniali per inuestituram *sub lege speciali certa* habetur;

3). *strictè et maxime proprie sumitur* pro omni eo, quod iure proprio, non patrimoniali per inuestituram *sub lege fidelitatis (mutuae)* habetur.

4). *Strictissime pro re corporali* (amant alii: *pro praedio*) alicui iure proprio non patrimoniali et sub conditione certa concessa.

Iam antequam de singulis generibus videamus, in limine tractationis quedam adhuc monenda ducimus. Nos sub beneficiario systemate etiam aliquo modo rem vasallaticam comprehendere, patet; eoque consilio hoc fecimus, ut primo loco superius illud genus, *sub quo omnia inferiora continentur*, definiamus, deinde tamen lucidius demonstremus differentiam, quae inter vasallagium nexumque beneficiariorum generatim acceptum intercedit. Prorsus enim diversa nec superiori aliquo genere comprehensa utraque vt statueremus, vel ideo a nobis impetrare non

ꝝ o ꝝ

potius, quod et vasallagio beneficii nomen inditum fuisse certissimum est, et exinde quod specialius nomen vasalli forsitan eminuerit non sequitur, ut nexus vasallorum cum domino alias semper sit ac beneficiarius in genere sumitus. Hac demum pacto multum ab fore speramus, ut per illi. Boehmerus contra se haec disputata esse opinetur, quae potius eo tendunt, ut quae vir magnus protulit, bene inter se cohaereant. Vno verbo: nobis, ut vsum loquendi Germanorum vulgarem eumque antiquissimum sequemur, necessarium vsum fuit. Quem vero fugit, originariam antiquissimamque vocem *Lehen* longe fuisus patere *feudo*, neque excogitari posse beneficii speciem villam, cui non conueniat nostrum *Lehen*. Antiquissimum diximus loquendi vsum. Et vere ita sece res habet. Quamvis enim nec in scriptoribus nec in monumentis, latine quippe exaratis, primis temporibus occurrat, neque tamen antiquissimis fontibus destituimur, sermone ipso nempe, vnde adstrui potest. Anglo-Saxones illud iam Saec. VIII. habuisse, me olim legere memini. Neque tamen iam ad manus sunt libri, vnde firmare possim assertiōnē mēam *). Quod si vero Anglo-Saxonibus nota fuit vox: *Lehen*, ut ante Saxorum emigrationem, Germanis ipsis nota et in vsu fuerit, necesse est. Feudum e contrario, ut rem nouam, aliunde adiectam, ignorat lingua Germanica, neque vñquam adsumit. Contrariam sententiam refutare, huius non est loci.

§. XIV.

Ac *primum* quidem apparer in nostra definitione eo omnia redire, ut primo quid per ius proprium et inuestituram intelligatur,

* in Sommeri Glossar, a Benfoni edit, exstat. vox *drinklehn*, quae redditio potius vertitur. Ni valde fallor in Wilkinsi Coll, legg. Anglo-Sax. eius sit mentio et ex Glossis Monf. in Schilteri thesaur. l. h. v.

gatur, perspiciamus, deinde quod hic locum habuerint, declaremus; tandem, quod omnis res, non solum praedium aliquod beneficii materia esse possit. Illius antea iam facta expositio, nec est, quod quidquam hoc loco addamus. Largimur quidem quoad secundum momentum (quo enim pacto rei sibi notissimae, et contrario prorsus inaudito, mentionem iniicerent,) veteres iuris proprii expressam non fecisse mentionem; ut etiam ambabus largimur, primis Merouingorum temporibus existuisse beneficia, ad beneplacitum concedentis reuocabilia *), adeoque ad determinatum tempus concessa. Haec enim causae arcem non tangunt. Si enim concedimus, *omnia* beneficia, vbi contrarium non erat pacto determinatum, fuisse reuocabilia, nec ius proprium nec inuestitura inde afficiuntur, suamue naturam exiunt. Quin consultius videtur ponere, ita fuisse, processu temporis autem vtrinque et vario modo immutari coepisse. (vid §. 10. not.**) Vti in quibusdam beneficiis, procedente tempore libertas recedendi a nexu beneficiario erpta fuit beneficiariis, ita bene reseruata esse potuit domino etiam ex sua parte. Facilius tamen carere poterat beneficiarius beneficiis, quam dominus beneficiario. Vnde sequiori aevo vix inveneris exemplum, vbi dominus vassallo — licet hac voce iam vti — pro lubitu ademerit beneficium, quum e contrario vassallis in regula liberum fuerit arbitrium, recedendi ex hoc nexus **). Quibus ex causis hoc factum sit, ad causam nostram, hoc certe loco, non pertinet.

In feudis omnibus et beneficiis ecclesiasticis obtainere hodie ius proprium, nemo negat. Iam vero, quum ex beneficiario systemate ortum sit feudale, neque villa inquam existiterit memoria, aliquando hoc nouum accessisse: inde jam fluit, ab ori-

C 2 gine

*) Feudor. II. 52. Contrarium tenuunt plures

**) Demonstrant hoc leges in contrarium latae Cap. 813. art. 16.

20

gine omnibus beneficiis inesse ius proprium. Tacemus de *vſu fructu Germanico*, quem iure administratorio olim nisum fuisse, nullus adfirmauerit. Longe lucidius apparet ius illud proprium, si oculos in ea tempora conuerimus, vbi beneficia non amplius fuere reuocabilia *). Nisi enim illic iusta causa adeset, ab quam quis beneficis erat priuandus, iure illud in potestate sua, vel in-vito domino retinuit: absone res, si administratorio iure habuif-
set beneficiarius.

Inuestituram autem obtinuisse, difficilius probat videtur, quod ne uno quidem loco in legibus populorum germanicorum, quid quod ne in ipsis quidem regum Francorum Capitularibus occurrit. Vestiture autem mentionem supra ex Capitularibus fecimus, vnde ad inuestituram concludere licet.

Reueſtire quidem in Capitularibus et Visigothorum legibus occurrit, ad nostram tamen causam non pertinet. *Lenſeuwerpire* et *werpire*, *fæſtucare* aliaque nomina ibidem offenduntur de quibus ad *Glossaria* lectorum ablegamus. Inuestiture vocem ignorat aeum Caroli M. et qui ei ribuunt scriptores, ex illo aeuo sunt, vbi inuestiture vox iam *vſitata* fuit **). Germanica esse videtur.

Tertium, quod argui debet, facillimum est. Quum enim non solum manſi singuli aliaeque res corporales ferui etc. occurrant beneficio dati, praedia non ſola fuisse beneficiorum materiam appare. Quod si vero, quod infra videbimus vel honores dignitatesque beneficio cesserint, nulla reliqua erit dubitatio.

§. XV.

Essentiam itaque beneficii in genere constituit res aliqua, ius proprium in ea et inuestitura. Quod praedium concedatur,

*) arg. Capitul. II, a. 812, art. V. et 877, art. 3, et Lib III, 69. Montesqu. c. I. 30, 16.

**) Male haec sententia Baronii habuit Fr. Pitheoum (Baluz. Capitul. T. II, p. 746) nec tamen meliora afferit. Briffonio teste Romanis fuit in *vſu*. add. Pfeffing. Vitr. illustr. c. I.

naturale tantum est, accidentale autem omne id, quod contrahentibus definire placuerit. Quae in beneficiis in genere suntis naturalia et accidentalia sunt, eo faciunt, ut varias sub genere contentas species inticem a se distinguere possimus. Sequuturi sumus hanc viam, quam ante quam ingrediamur exempla pollicimur beneficiorum in genere sumtorum. En maxime illustre — quod vtrum hoc referrem, diu multumque cogitau, non solum veritus, ne eos, qui me non doctrinae declarandae gratia genus quoddam superius mihi constituer, sed quasi maiestati illudere velle putent, offendam — *dignitatem potestatemque regiam* *) Haec conferebatur, olim non per electionem, quod praeprimis a Ludouici Bauari tempore obtinuit, sed per inaugurationem et *investituram* adhibitis symbolis (regalibus insignibus atque ornamentiis,) per archiofficiales regni, qui vniuersi populi, penes quem originarie resedit illa potestas, vices gerebant. Haec habebatur exercebaturque iure proprio nec tamen patrimoniali, ut notissimum est. Quoniam autem speciale nomen regis aderat, et regiae potestatis complexus sub nomine *des Kaiserlichen Amtes* **) indigitabatur, de beneficio sermo esse non potuit, nisi binis vicibus, vbi impudentia cleri, cui nihil tam sanctum umquam fuit, quod non sibi arrogaret, Hadriani nempe romani

C 3

pon-

*) Carolus Caluus in Capit suis audiendus, qui multa verba facit de *ministerio* sibi commisso, cuius cooperatores sunt Episcopi etc, vid. Capit. Reg. Franc. Baluz. T. II. p. 210. seqq.

**) de hoc officio imperatorio (Kaiserliche Amt) loquuntur omnes fere Germaniae leges vniuersales, praeprimis fundamentales. Et sunt reliquiae antiqui moris loquendi, ut etiam in den Crz. Hemtern d. R. N. Mirum, nemini historicorum nostrorum, qui Duces Comitesque olim regum officiales i. e. Beante, Staatesbediente fuisse volunt, in mentem venisse, ex hac voce imperatoris potestatem etiam in administratoriam exiguitatem depromere.

pontificis *), et eorum, qui Henrico quarto **) Imperatori insignia violenter et nefarie detraxerunt, hoc sibi sumsis. Alterum non minus illustre esse poterit, dignitas papalis, de quo tamen cum nomine contendam. Hinc reges Francorum orientalium, ut hodie Imperator Romanorum Augustissimus, non habebant potestatem regiam in proprietate, iure tamen proprio ad exercitium potestatis huius vtebantur, quod demum mediante inuestitura, quae et inaugratio dici amat, conseqüebantur. Vt ex hac vera indoles archiofficiorum, certe maius quid in recessu habentium, quam quod auenae aceruum inquietent etc. et insignium regalium momentum, ita praesertim genuina indoles iurium Imperatori competentium intelligitur. Sed repetitum volo, me hac loco rem ipsam, non appellationem attendere, et, quae disputata sunt, eo spectare, ut genus quoddam superius constituantur, ad quod inferiora disponi possint!

§. XV.

Accedimus ad secundum significatum, quo iam proprius ad hodiernam feudorum rationem accedit res beneficiaria. Ad est hoc loco aequi ius proprium non patrimoniale ac inuestitura; accedit autem tanquam differentia specifica, certa specialis que lex inter eas inita, qui hoc nexus contineri inuicem amant. Ex arbitrio contrahentium vero pendebat, quam sibi quisque legem dicere veller. Oritur exinde pactum beneficii dandi accipiendique, quod quidem multiplex esse potest, prout libuerit contra-

*) Radewic. de gesl. Frid. I. Cap. 9. 10. 22.

**) Helmold Chron. Sclav. Lib. Cap. 32. — quem meritum inuestiuitus, immuritum quare non dueftiamus — (sunt verba Moguntini ad socios Coloniensem et Wormatiensem) paullo ante: fac nobis reddi coronam — et caetera ad inuestitram imperiale pertinentia.

contrahentibus, nec regulam ullam admittit, ad quam diuidetur, praeter hanc, quam sibi in quoouis casu dixerint. Neque generatim beneficij naturam villo modo afficit, quod isto pacto constituitur, modo ea, quae priori loco asseruimus, salua sint, illaesaque maneant, ius proprium non patrimoniale et inuestitura. Sic lex saepius fuit, vt beneficiarius de fundo inbeneficiato annuam soluat pensionem, canonem exhibeat, operas praefter manuarias, certum pecoris, frugum, lini et lanificii modum sibi imperari patiatur *). Dominus contra saepius praeter alia iuri recedendi ab hoc nexus renunciauit, hereditario iure possidendum dedit, facultarem de eo mortis causa disponendi fecit, vt alia raceam, quae in viramque partem ex monumentis produci possunt antiquis.

§. XVII.

Complectitur haec beneficiorum classis omnia fere negotia, quibus olim Germani inter se quum omnes, tum praesertim nobiles et ingenui, quid? quod serui ipsi vrebantur. Pro varia eorum natura et indole variabant appellations, praestariae, precariae, beneficia &c. de quibus multa proferre raederet, quum sint notissima. Omnia illa ab antiquissimis inde temporibus Germani Lehēn dixerunt, et recentiori demum aevo contigit, vt haec vox ad exprimendum *to:feudum*, seclusis aliis negotiis, ab eruditis, qui feudalem doctrinam explicuerunt, adhiberetur: quod quo iure factum sit, aliorum iudicio relustum esto. Certe hodienum ista vox Lehēn eundem habet ambitum, quem iam (§. XIII.) descripsi, et vel in iis negotiis reman-

*) Largam messem exhibet Bouquet c. 1. pag. 92.

¶ o o

remanisit, vbi hodie plena proprietas et ius proprium patrimoniale, mutata rerum facie, obtinent.

§. XVIII.

Quo melius autem beneficia in sensu stricto dicta eruamus, distinctione aliqua opus est, nimirum in talia, quae ab hominie libero, et talia, quae a seruo habentur. Et haec quidem hoc loco non curamus, illa autem accuratius perpendamus, necesse est, quippe ex quibus fit transitus ad institutum feudale. Quoad essentialia, naturalia et accidentalia non est, quod quidquam adiiciamus.

§. XIX.

Si istae pacto speciali adiectae leges eo tenderent, ut fidem mutuam sibi, tanquam specialem obligationem, imponerent contrahentes, iisque tales, qui a natura aut quoad rem publicam libertate civili gaudebant, essent, oritur inde beneficium *in sensu stricto* sic dictum; quod quidem rei feudali dedit originem. *Fidei promissio mutua* nouum ergo est, et speciale, quod accessit, et quod praeter illa in genere omnibus beneficiis competentia hic attendendum est. Vno verbo dicitur *fidelitas*. Sed quid sibi velit ista fidelitas, non facile est exploratu. Ipsa vox quidem latina est, et generatim quamvis curatiorem obligationum praestationem denotat; adhaesit tamen aliquid ex sequiori aevo, quod iam excutiendum est. Fides est hoc loco qualitas moralis ex *commendatione* oriunda. Se alicui commendare dixerunt maiores nostri. Qui se commendaret, fidem quasi offerebat ex altera, poscebat ex altera, parte. Sola tamen vtrinque *commendatio* nexum beneficiarum non efficiebat. Et pertinebat

pertinet haec doctrina ad mundum populis germanicis visitatis simum, cui immorari nequimus.

Fides illa autem accommodata erat moribus cuiusvis aeu*i* probatis, et falluntur, eadem modulo per omnia tempora fidem aestimatur*i*. Vt boni probique viri notio non semper est eadem, ita etiam fides, quae boni viri officium esse reputabatur, non semper eadem inuoluit. Quidquid boni viri esse iudicabatur, fidem efficiebat. Cuius quidem rei causae mihi fuisse videntur perditissimi Francorum mores, et absentia legum scriptarum, certe talium, quarum interpretatio ultra litteram egredetur, quales hodie in Britannia offendimus.

§. XX.

Est itaque fidelitas primo loco relativum quid, quod concer-
nit modum rationemque satisfaciendi nexui beneficiario, siue conditionibus pacto speciali determinatis respectu beneficij in sensu lato accepti; deinde non solum tangit obligationes illas, sed iis etiam tanquam noua superinducitur; tandem locum non ha-
bet, nisi inter homines sui iuris, quoad rempublicam. Latif-
sime ergo patet fidelitatis notio, et ad mentem antiquiorum de-
clarata, erit obligatio ad praefenda ea, quae bonum virum de-
cent. Nec sufficit, ad ea tantum illam referre, quae expresse
habentur in contractu beneficiario, ad quae per se iam obliga-
tus erat vterque, sed potius, vt ad omnia, quae vlo modo
tangere possint contrahentes, extendatur necesse est. Hinc
factum, vt fidelitas, quam ius feudale Saxonum requirebat, lon-
ge maior esset illa aliorum populorum, quod Saxones nostri
olim longe moratores essent pluribus populis. Treu, hold
und gewartig seyn elegans est formula, quam procul dubio ex
antiquitate seruauit posterius aeuum.

D

§. XXI.

§. XXI.

Quam fidelitatis notionem si omnes habuissent, qui de habitu feudorum etc. scriperunt, raro tantopere angerentur, quo pacto varias feloniae species explicarent. Erat enim aequa fidei promissae laesio, si quis pudicitiam filiae domini sui tentaret, quam si eum in acie derelinqueret, si castrum proditione tradaret. Hinc in feudis plura, quae officia humanitatis tantum erant, pro perfectis habebantur obligationibus. Recensionem casuum illorum, vbi laesio fidei locum habere poterat, dedit Boucquetus *) quorum numerum facile augeri posse non negamus,

§. XXII.

Qui hoc modo fese, accepto beneficio, obligauerat, dicebatur, *fidelis*, Vasallus [f.] Vasillus, homo, Leudes et sic porro, nexus autem vasallagium, vasstaticum, (hominium sequiori aevo) cuius appellationis causa a differentia horum beneficiorum ab aliis erat petita. Quaevis fidelitas non statim efficiebat vasallum, uti commendatio non erat ipsa nexus beneficiarii constitutio. Fidelitatem enim nudam cogitare possumus, et sunt, qui conuivas regis, Antrustiones, et tales homines, huc pertinere, non absfone iudicant. Regi debebatur ab omnibus fidelitas, quippe qui subditos olim ciues non habebat, sed tanquam caput membra regebat; et haec commendatio in fidem regiam etiam erat loco homagiⁱ nostri, quae tamen subiectionem efficit. Exinde igitur non fluit, omnem fidelem fuisse Vasallum in hoc sensu. Falendo hanc fidem committebat beneficiarius feloniam, vocem sequioris aeui, rem antiquioris. — Vtrum fefellerit fidem, non erat diiudicandum domino, sed iis, qui cum reo in aequali es-

sent

*) i. c. p. 115. seqq.

sent conditione^{*)}). Hinc sequiori aeui curiae feudales. — Poena fidei falsae erat amissio beneficii, nisi contrarium placuisset.

§. XXIII.

Mutuam porro statuere placuit fidelitatem, non propterea quod re vera semper mutua fuerit, sed quod aliquid dandum putauerimus sequioris aeui doctrinis, vbi, inualecente re feudali, omnino mutua fuit. Obligationes, non solum determinatae, vtrinque erant implendae; et quidem, in quantum quae ex arbitrio pendent, ad regulam vocari possunt,

1) domini, generatim re considerata, erat obligatio, ut eo modo, qui bonum virum sui generis deceret, vasallum protegeret, flospitem praestaret, eumque iuribus, quorum exercitium illi ex nexu beneficiario competebat, frui fineret; ^{**))}

2) vasalli autem, ut non solum iura sibi competentia rite exerceret, obligationesque expresse determinatas impleret, sed etiam omnia, quae viri boni esse existimabantur, quibusque impletis commodum domini promoueri, damnum auerti sciret exequeretur. ^{***)}

Longe plures itaque statuimus obligationes vasalli, quam domini, ex fidelitate oriundas. Nolimus tamen ad rem feudalem ista extendi, vbi nempe mutationes plures factae sunt

§. XXIV.

Quartum denique locum obtinet maxime vulgaris significatus, isque strictissimus, qui quodammodo responderet ei, quem

D 2 secun-

^{*)} bonis forsan hominibus, quorum saepius sit mentio (*Boucquet*, c. I. p. 180) loco scabinorum.

^{**) Boucquet c. I. p. 115. seqq.}

^{***)} Id. c. I.

secundo loco posuimus. Differentia est, quod res in beneficium data est corporalis, praesertim praedium, fundus aliquis, servus, mancipiumue *) Quum notissimus sit hic significatus, nec asseri possit, pro officio, eoque hodierni moris, vnicet datum fuisse praedium, ei non immoror. Non possum tamen non adiungere, quae cum usufructu prorsus beneficiis conuenire non omnibus, commonstrant. Beneficiorum ambitus longe latior est ambitu usufructus; continentur enim illic res, quae usumfructum non recipiunt. Beneficia in dominationem **) transibant, ius et obligationem meliorandi modo, modo autem obligationem ad censum annum, ad renouationem annum, quinquennalem etc. aliasque praestationes comprehendebat, nec personam egrediebantur, donec fierent hereditaria. Sed operam perderem, si diutius inhaerere vellem huic rei, quae ex Saeculo suo horridam inordinatamque gestat faciem, et demum post Caroli M. tempora in ordinem aliquem in Germania fuit redacta, vbi certe praceptorum, praceptionum regiarum usus minus obtinuisse, et inuestitura orta fuisse videtur. (vid. §. VIII. XI.)

§. XXV.

Atque haec essent quatuor istae classes, quae comprehendunt quidquid beneficiorum occurrit. Possent plures adhuc constitui, quod quidem huius loci non est. Marculfi enim aliorumque formulae veteres, quas nec antea laudati scriptores neglexerunt, plura suppeditant, quae hoc faciunt. Quod si tamen cum illis, quibus haec tenus aduersari visus sum, viris aliquo modo in gratiam redire luberet; ad duas classes omnia, quae iure proprio non patrimoniali et per inuestitaram habentur, reducerem:

*) bo-

**) vid. Capit. Reg Fr. passim

**) Muratori in lenchi thesaur, III, p. 258,

1) honorum, dignitatum, officiorum, ministeriorum etc. 2) beneficiorum in sensu strictissimo, prout res in beneficiata principali fuit *out corporalis*, vnde beneficium, *aut non*, vnde honor etc. Hoc pacto etiam, quae de regia dignitate, differui-
mus, neminem offendent, et usus loquendi antiquus magis sibi conueniret. Lectorum esto iudicium. Nobis illam viam ingredi, satius visum fuit, quod progressus rei beneficiariae clarius inde cognoscitur, et eodem ad ultimum res omnis reddit. Nam in verbis tantum relictum esset discrimin, quod intercedit, ipsa rei summa non discreparet. Iam ad alterum caput progredimur.

C A P. II.

De variis beneficiorum speciebus generatim.

§. XXVI.

Plura cogitari possunt diuidendi fundamenta. Vtrum autem rite distingendo atque bene ordinando intricatam rem lucidius explicare possimus, periculum faciamus. Dabimus quidem primo loco tabulam aliquam generalem, quae continet et repraesentat omnes beneficiorum familias, cui subiungemus secundo loco idonea argumenta, quibus rem recte se habere euincatur. Loquimur autem tantum de beneficiis sub n. II. III. IV. supra denotatis, nec extra Francorum regnum, Germaniamque euagari iam licet.

§. XXVII.

Primum et principale fundamentum diuidendi desumptum esto ab iis, qui habent ius conferendi beneficia. Ac nostra quidem nihil

D 3

refert,

refert, utrum ex suo an ex alieno deponatur, quae quis datus erat in beneficium, modo iure conferendi ipse gaudeat. Vbi enim persona moralis occurrit, haec ut *prodominum* constituant, necesse est. Vno verbo adhuc monemus, neminem, nisi liberum hominem dare potuisse beneficia secundi generis, neminem nisi nobilem, tertii. Sed haec alibi fuisus. Respectu eius, qui conferebat, erant quidem beneficia:

I) *immediata* i. e. ab eo collata, qui ius conferendi *originarium*, aut potius *primarium* habebat. Horum duplex erat genus. Erant quippe:

A) *publica*, quae concernebant statum publicum, et ad vnum omnia complectebantur potestatem aliquam ciuilem subordinatam, (*non omnimodam*) Quid sibi velit *to: omnimodam*, in progressu operis apparebit, vbi de vera definitione *superioritatis territorialis* agendum erit. Erant ex una parte, in quantum nempe obligationes essent impletiae, *officia*, ex altera autem, in quantum complexum iuriuum in se continerent, *honores* et *dignitates*. Ius *bonorandi* siue ea conferendi erat apud eum, penes quem erat exercitium summae potestatis, vi huius potestatis, cuius quidem partem hocce ius constituebat.

Potestas autem illa ciuilis subordinata non omnimoda duplice via consideranda venit, concernens quippe

a) *regimen reipublicae* vniuersale quo referri debent sic dicta *officia regni* talia, quae *in regulu coniuncta* erant cum alia dignitate, vel separabili nexu, vel non. Sunt autem

a) Archicancellarius, qui versabatur in expediendis regni regisque negotiis, quae scriptura absoluebantur.

B) *Archiofficia regni* reliqua, eaque vel *sacerdotalia*, vel *ecclesiastica*, quae erant ius et obligatio repraesentandi deter-

determinato modo reliquos ciues, tamquam partes rei publicae integrantes. Ecclesiastica erant *archicapellaniatus*, saecularia autem *archicamerarius*, *archimare-sballus* *archipincerna* *archidapifer*, desuntis ex aula regia nominibus, de quo in progressu operis fusius tractabimus.

a) *Maiorum domus* anomala fuit ratio, de quibus hic non est locus differendi.

b) regimen rei publicae speciale, quorum duplex est genus:

$\alpha)$ ecclesiastica, quorum obiectum erat potestas ciuilis subordinata ecclesiastica, sive in genere sumta potestas episcopalis; iterum competens

$\beta)$ Archiepiscopis, iisque vel talibus, qui simul erant Primates vel non talibus. Qui primates fuerint, alibi explicabimus;

2) Episcopis,

3) abbatibus nonnullis.

$\beta)$ saecularia, quorum obiectum erat potestas ciuilis sae-cularis subordinata non omnimoda; et quidem

$\alpha)$ Ducatus

$\beta)$ Comitatus, vbi vel simpliciter sic dicti Comites, vel non, (qui quidem erant *Comites Palatini*, et *Mar-chiones*. Landgrafios enim et Burggrauios antiquior aetas ante Saec. XII. in Germania non nouit.)

B) priuata, quae non:

a) Regalia, si rex tanquam persona nobilis et priuata consideratur, erantque

$\alpha)$ ministerialia s. praefectorialia

$\beta)$ militaria,

$\gamma)$ mixta ex utroque.

b) aliorum, nempe nobilium et eorum, qui eodem iure gaudebant.

II) medi-

- Il) *mediata*, i.e. talia, quae ab eo conferebantur, qui ius conferendi haec beneficia aliunde, tamquam beneficij sui partem, acceperat. Erant autem:
- A) *ecclesiastica*, quo pertinent omnes inferiores in ecclesia ordines, qui iure proprio regiminis ecclesiastici subordinati partes implebant, usque ad parochum.
 - B) *Saccularia*, praeprimis, quae rem iudicariam publicam, militiamque concernebant.

§. XXVIII.

Supereft, vt iustis argumentis adstruamus, haec olim ita fese habuisse. Ac primum quidem demonstrabimus, honorum et beneficiorum eandem fuisse rationem, deinde officium in beneficiis permultis summam rei constituisse, naturale autem fuisse praedii &c. concessionem, tandem iure proprio non patrimoniali, et per inuestitaram adquireendas fuisse dignitates &c. Officia beneficiorum rationem habuisse, vel Perillufr. Boehmer *) fassus est, et exinde etiam intelligitur, quod 1) allodio contradistinguntur **) 2) beneficiorum appellatione ***) insigniuntur 3) que de beneficiis afferuntur, etiam in honores et dignitates cadere dicuntur. Quae de singulis valent, infra illustrabimus, quo lectorum ablegamus. Officium, dignitatem, honoremque in permultis beneficiis ipsam rei summam et essentiam constituisse, negatum pernegatumque fuit, neque ta-

men

*) Obseruat. feud. p. 72. ibique cit. et Conradi de formula inuestituras cum omni honore §. 2.

**) Marculphi Form. I. 14. Capit. 854. art. IV. Caeterum Mably c. I. p. 275. 348. 357. Bouquet c. I. p. 211. et Du Fresne f. v. Honor. et alii plura collegerunt.

***) Capit. Caroli Calui an 856. — concedit in honoribus et in alodibus vestris consistatis, exceptis his, quorum honores senior noster donatos haber.

men a vero abhorret. Verum quum se premi vidisset multis argumentis, aliam viam ingressus est Io. Schilter *) et post eum alii, statuendo, inter officium feudale et feudum ipsum bene distingendum esse. Frustra! Si enim (ad beneficia autem trahi potest deberque) potestas illa aut officium aliquod feudo, quod in re corporali consistit, non cohaereat; si, ut hodie sit, feudum nil aliud praeter hanc potestatem contineat: quid fieri putamus? Nec desunt, nec defuerunt exempla dignitatum potestatisque ex hoc nexus competentium, quae nulli feudo &c. inhaeserunt. Illius exempla sunt domini territoriales, qui ne glebam quidem, tamquam feudum, ab Imperio habent, et banno demum inuestiuntur; huius est Comes Palatinus Ezzo, qui, quamvis iam comes Palatinus fuisset, nihil ab Imperio in beneficium acceperat **). Sola sunt archiofficia regni, quae necessario vinculo cum aliis dignitatibus sunt connexa. Quod autem ultimo loco hi honores iure proprio et per inuestituram adquisiti habitique fuerint, de omnibus simul summis demonstrari nec debet, si in singulis de veritate asserti nostri constet. Honorare erat vox huic rei propria, saepius in antiquis legum et chartarum monumentis obvia.***). Ius honorandi autem immediatum competit Regibus, aut iis, quibus expresse concessum esset; nec sane minimum suorum iurium fuit.

§. XXIX.

De archicancellariatu, aut quod ei nomen dederis, multa dare abstineo, quum nemini, nisi qui iam alio beneficio esset instru-

*) Comment. ad Ius Feud. Cap. 42, §. 21, p. 227. seq.

**) Gudenus Cod. dipl. Tom. III. p. 47. qui autem hoc argumento contra me vti velit, videat, quae alibi adducimus, cogiteturque, quid iam fieri andum sumserimus.

***) Georg. Turon. Lib. V. cap. 42. Capit. d. a. 877. art. III.

instructus, dari solitus fuerit: id quod etiam de *Archicapellani*
natu asserti potest. Hodienum in utroque obtinere ius proprium
 et iusseritam, huiusque reliquias antiquitatis (in epulis fo-
 lemnibus Imperatorum) nemo ignorat. Et si a feudis ad bene-
 ficia concludere liceat, nisi peculiares rationes impediunt, ope-
 rosae demonstrationi facile supersedemus.

Quoad *archiofficia* saecularia nondum rationes ita subductas
 habeo, ut finium regendarum arbitrium mihi arrogare audeam.
 Hoc tamen certus sum, Carolo M. regnante ea iustam formam
 accepisse et illius artibus deberi, quod officia certa palatina quasi
 publica facta et cum ducatis magnorum populorum coniuncta
 sint. Ex illo igitur tempore, eodem, quo dignitates, quibus
 adhaerebant, iure censentur.

Maiorum domus par ratio fere, ab initio, progressu autem
 temporis prorsus anomala fuit, vti alibi de hoc argumento mon-
 strandum est. Ducas et principis Francorum omnium dignitas
 potior habita fuit: vnde iam Carolum Martellum maioratus hu-
 ius poenituit, et ex ducali et principali fastigio ad summum re-
 gni fastigium et nomen adscendit eius posteritas.

§. XXX.

Episcopatum accipiendo rum habendorumque ratio fuit,
 quae nobis ea, quae haec tenus disputamus, commendauit. Quum
 enim perspexissimus non solum hodiernum eorum statum sed et
 iam pristinum, qui inde a Clodouao obtinuit, & cogitassimus
 eodem iure quo Epatus, etiam Ducatus, Comitatusque habitos
 fuisse, nec Ludewigium, Gundlingiumque eorumque sequaces
 rem ita explicuisse, vt adquiescere alterutris placitis potuissimus;
 constituimus rem accuratius perpendere, eoque pacto se mente
 insinuauit, quam profitemur, sententia, Qui Epatus iure ad-
 mini-

ministratorio competere dixerit, nouimus neminem, bene multis *) vero, qui *inuestituram per annulum et baculum regalia*, quae dicuntur, s. temporalia, spectasse affirmant. Quantopere autem fallantur isti, vberius non est, quod exponamus. Monemos tantum, olim omnes honores et dignitates ecclesiae beneficiorum **) numero fuisse comprehensas et propterea, quod ipsam potestatem ecclesiasticam per hanc inuestituram tradere putabant Reges, ortum esse dissidium inter imperium et sacerdotium Luculentius, hoc pater, si ipsos Epos et Clericos, qui uno ore inuestituram per annulum ad ipsam potestatem capalem trahunt audiamus. Nec dici potest, per electionem, manuum impositionem, chrisma, precationes etc. data fuisse. Electio numquam fecit epum; haec vero dabant, certe dare putabantur, dona demum supernaturalia et spiritualia. Porro exstant in Germania exempla episcoporum, quorum *ordinatio concessa* fuit et Ducibus, vt Arnolfo Baioariorum, Henrico Saxonum, regibusque Bohemiae et Aepis Salisburgensis, de qua quidem re monumenta ***) ita loquuntur, vt vim veritati facere debeat, qui assertere audeat, inuestituram hanc non dedisse ipsam potestatem. Tandem quam non solum fieri potuerit, sed etiam factum sit,

E 2

VI

*) e. g. *Petrum de Marca de Conc. Sac. et Imperii T. II.* p. 403 etc. et omnes feie adiecas Curiae Romanae.

**) Videri possunt promiscue DD. iur. Can. praeprimis *Giberti* in Corp. iur. Can. T. III. tract. de benefic. p. 1. etc.; *Thomassini* de yet. et nov. eccl. disciplina circa beneficia Tom. II. p. 415 etc. 578. In *Hendii Metropol. Salisb.* (ed. 1719.) T. I. p. 39. Epus per inuestituram fieri ipsi Rom. pontifici & Imperatori dicitur. Innumera loca ex Dithmato Merseburg. aliisque excisare non vacat. Ablego lectorum ad *Pfeffing.* in *Vitriar. illustr.* T. I. p. 1379 seqq.

***) *Luitprand.* Lib. 2. Cap. 7. *Dithmar.* Lib. 1. *Helmold.* Lib. I. Cap. 87. *Maderi antiqu.* Brunswic. p. 222. de *Westphalen* monum. ined. T. II. p. 2031. *Origin Guelf.* T. IV. praef. p. 6. *Goldaft de regn.* Bohem. lib. III. c. 7. *Hundii Metrop. Salisb.* T. I. p. 39.

vt episcopi essent, qui regalia saecularia non haberent, vt Brandenburgensis, Huelbergensis, Gurcensis, Bohemici etc. nihilo que secius inuestirentur; profecto, quo pacto illa stare possint non video. De aduocatis ecclesiarum nihil addo, vt ne latius euagandi necessitas imponatur.

§. XXXI.

Quae Epatuum, eadem et Ducatum, Comitatuumque ratio fuit; [et si vlla in re, certe in hac summos viros nobis aduersari scimus, *]) Producunt Duces Comitesque **) (ad libitum) depositos ab officio, praefectos, administratores etc. appellatos; quibus nil nisi actio ducatus, comitatus, commissa fuit; Comites qui pacto, ne deiicerentur ab officio, prouiderunt, numis legationis prorogationem emerunt, et quis enumerauerit omnia, quae eo consilio producuntur, vt regum nostrorum administratores fuisse duces comitesque commonstrent. Increduli tamen sumus. Depositio ab officio in se spectata nostram causam non tangit, nec ad libitum deponere umquam in Germania ius fas fuit. Praefectos eos appellatos fuissent, non negamus, quod latino sermone non exstabant aptiores voces; fuere autem simul proceres, quorum consensu opus erat in causis grauioribus, qui bella gerebant &c. Quod autem nil nisi aetio Ducatus &c. ipsis concessum fuit, tantum abest, vt iis obsint, quae asserimus, vt potius exinde firma petamus argumenta caussae nostrae.

Et

*)) Neminem qui meam foueat sententiam noui I. C. Spener in Observ. Feud. II. p. 90. not. b. proprius ad eam accessit, sed quae habet de salario Ducum Comitumque redolent Saec. XVIII.

**)) nobis tantum sermo est de Germanicis illis, qui ditionibus patrimonialibus iam tanquam nobiles longe lateque imperitabant. In Gallia etc. non omnes magni momenti fuere.

Et Episcopis actio Epatus concessa est¹⁾). Sed quid sonet actio inquirendum. Est igitur ex more loquendi diplomatico *ius actuale*^{**) vt actio ducatus idem sit, ac ius ducale eiusque exercitium. Quemadmodum autem nemo regimen ecclesiasticum ab Episcopis nomine administratorio procuratum fuisse afferit, ita etiam nec de Ducibus aliter statuere licet. Iure itaque proprio licet non patrimoniali, habuerunt potestatem suam Dukes Comitesque. Quod per inuestituram, in Germania saltum, habuerint, neminem credo in dubium vocare, cui enim ignotae sunt lanceae illae signiferae aliaque id genus, quibus Ducum Comitumque dignitas concedi solita est? Huc accedit, quod vel in exteris regnis Ducatus Comitatusque non solum dignitatis honorisque nomine, sed etiam beneficii venerint, vbi veritatem faceret, qui de praediis, que tamen omnibus Ducibus Comitibus concessa fuisse doceri nequit, illud interpretari vellet. Duo praetertim loca excitamus de Ducibus, quorum alterum debemus *Aimoino*^{***)} alterum autem *Pasquierio* †). Quibus si iungamus, quae passim in scriptoribus de Ducibus Comi-}

E 3 tibus-

¹⁾ vid. Marcolfi Formular. Lib. I. Form 7. 8. Baluz Tom. II.p. 728. seq.

^{**) actionem habent eligendi abbatem — exstat in diplomate Ottonis in Beccan. Hist. Anhalt. P. III. p. 185. Perillostr. Schmidt in der Gesch. der Deutschen Th. II. p. 105. 114, tamen hac formula sibi nubes obici pafus est, quam iam in eo esset, vt verum perspiceret, et inde agere putat nomen administratorium.}

^{***)} Hic in hist Francor. vbi: *Clodauaeus*, inquit, *Mildunum castrum eidem Aureliano cum totius ducatu regionis IVRE BENEFICII* concessit. *Immortale Fridericianae nostrae decus*, *Thomasius* (orig. feud. §. 4. n. a. §. 12. not. 3. hunc locum ex *Roricon* egregie illustrat.

^{†)} Recherches de France (Paris 1627.) p. 185. ex Theodulpho vbi: — *Pipinus Tassilonem collocauit in ducatu Baiuvariorum per Jaum BENEFICIUM*, Quae inde sequuntur apud plures existant et hibis inter eruditos Francogallos fecerunt locum, quas nostras non est, quod faciamus.

2

tibusque obueniunt, praesertim quae leges Boioariorum et Alamanorum *) de iis habent; tantum abest, ut administrorum nomen obtinuisse statuere possimus, ut peruidemus, quo pacto b. Ludewigius sibi non satis cauere potuerit, quo minus in errores incidet. Ne tamen subdole agere videamus, ea etiam producemus, quae nobis aduersari putantur. Sic narrat Gregor. Turon **) Paeonium Antissiodorensen Comitem ad renouandam actionem regi per filium Munera destinasse, qui quidem in suam rem iis v夫 sit, parremque supplantauerit &c. Arcem causae nostrae haec non tangunt: quippe temporarium esse, non est contra indolem beneficii. Praeterea nobis non a veritate alienum videretur statuere, primos Francorum reges in primis regni sui initii ius habuisse, confirmandi officiales aut reiiciendi, nisi electio populi, ut in pluribus Epis, nonnullisque ducibus, aliaque momenta impedirent ***) Sed haec sufficient!

§. XXXII.

Restant adhuc plures beneficiorum familiae, de quibus ut verba faciamus, necessarium videri possit. At et temporis et spatii breuitate circumscripsi in aliud tempus differimus, ubi otium naeti hoc argumentum continuabimus. Ut lectores habeamus beneulos, iudices aequos, ex animo optamus!

Tantum.

PRAENO-

*) Lex Boioar. Tit. 2. Alamann. Tit. 25.

**) Lib. IV. Cap. 42.

***) Legi meretur hanc in causam Greg. Tur. Lib. VI. C. 22. Aimon. Lib. III. l. 48. et vrerque saepius. Plura suppeditat. Pfeffinger. c. I. T. II. ab initio.

309
PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMOQVE
SCHVLZIO

AMICO PLVRIMVM COLENDO

DISSERTATIONIS

AVCTORI ET RESPONDENTI


S. P. D.

FRIEDRICH WILHELM GRAEVE

LYBENA-SILESIVS C. I.

OPPONENTS.

Dies nunc illuxit, qua, quos in iurisprudentia et historia feceris progressus, publico hoc specimine commonstras. Mirifice laetus, mihi gratulor, quod mihi eas partes mandare volueris, quibus implendis non solum amicitiae nostrae aliquid dare, sed etiam eruditio-
nis Tuae copiam ingeniique praestantiam testatiorem reddere li-
cer. Communis patria, qua vitimur, mox Te sibi vindicabit. Gra-
tulor Tibi patriam, quae diligentiae Tuae praemia ostentat; gratulor patriae, quae bonum utilemque ciuem Te habebit; gratulor mihi amicum, cuius neminem poeniteat, et ut Tibi omnia bene et felici-
ter euenant, opto! Vale, Suauissime Amice, et si contigerit, ut in patria Te iam florentem, redux factus conspexero, vti haec tenus fecisti,
me amare perge! Scripsi Hal. d. XXVI. Sept. MDCCCLXXXI.



THESES ALIQUOT:

Theses aliquot:

- 1) Post nuptias celebratas editus partus, isque a patre agnitus, legitimus est sec. ius Iustin. non legitimatus.
- 2) Instrumenta dotalia non erant necessaria in omnibus nuptiis Romanorum ciuium.
- 3) Capitulationes Imperat. neque regulariter nouum ius continent, neque neglectae illimitatam reddunt potestatem Imperatoris.
- 4) Doctrina de reseruatis Imp. nullo nititur historiarum fundamento.
- 5) Feuda nec quoad vocem, nec quoad rem sunt originis germanicae.
- 6) Legitimatum ius succedendi in feudis habere omnibus, ex historia doceri nequit.
- 7) Consilium suppressio religionis euangelicae et libertatis Germaniae Caroli V. animum non intravit.
- 8) Matrimonii summus finis est conseruatio generis humani.
- 9) Definitio superioritatis territorialis, quae iam obtinet, histricae falsa est.
- 10) Collegium electorale non ad modum cardinalitii, sed vice versa originetenus compositum fuit.

Halle, Diss., 1782/85.

ULB Halle
002 169 606

3



sb

Farbkarte #13

B.I.G.

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86

D. B. V. 1981 20
TIO HISTORICA
STENS
RVATIONES
DE
IS MEDII AEVI
QVAM
ISSIMO PHILOSOPHORVM
RDINE
V. SEPT. CIC CICCLXXI.
H. L. Q. C.
E DEFENDENT
CHRISTOPH KRAVSE
NSFELDENSIS
ET
VEL SCHVLZE I. V. C.
ERGA - SILESIVS
ET RESPONDENS
ASC. I.
YPIS L. I. CVRTIL.

